

communiter guardiani quàm in eorum literis habetur, vt dictum est. Et hoc scire est necessarium, vt sciant Vicarii eorum quid ipsi possunt in absentia suorum Guardianorum : quia nihil aliud nec aliter nisi quod, & quomodo suis guardianis ex vi officij guardianatus per Ministrum Prouincialem Commissum est, vt in literis guardianatus communiter solet haberi.

¶ Secundo notat, quod vt patet ex dictis in tabula, 20. committitur guardianis ex vi sui officij potestas Prouincialium super reseruatis, & alijs. & hoc solum actiue. i. q. ipsi absoluât alios subditos suos, seu vt dispensent, vel vt dent licentiam illis ad aliqua ibi contenta in literis guardianatus. Non autem passiuè. i. non vt ipsi guardiani absolui possint, aut dispensari. &c. Ideo si volunt habere auctoritatem passiuè pro se, vt ipsi etiam possint absolui. &c. oportet quod particulariter ipsis, vt personis particularibus concedatur. Et quàmuis ipsi guardiani habeant hanc auctoritatem passiuè sibi concessam, eorum tamen Vicarij non habent, nisi solum actiue in absentia guardianorum : quia ex vi officij